DE METHODO

ANTIPHLOGISTICA

STRICTIUS DEFINIENDA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XII. M. MAII A. MDCCCXX

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAR. GOD. ZIMMERMANNUS

HAMBURGENSIS

OPPONENTIBUS

Carolo Hoefft

MEDICINAE DOCTORE

Ludowico Ficker,

MEDICINAE CANDIDATO

BEROLINI,

TYPIS, IOANNIS FRIDERICI STARKII.

VIRO

AMPLISSIMO DOCTISSIMO

EXPERIENTISSIMO

H. L. KUNTZMANN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI POTENTISSIMI BORUSSORUM REGIS MEDICO AULICO ETC.

FAUTORI AMICISSIMO DILECTISSIMO MERITISSIMO

ATQUE

VIRO

EXCELLENTISSIMO REVERENDISSIMO

I. H. RUECKER

MERCATORI,

FAUTORI BENEVOLENTISSIMO AD CINERES USQUE COLENDO

NEC MINUS

PARENTIBUS OPTIMIS AMATISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

IN

GRATI ANIMI, VENERATIONIS PERPETUIQUE AMORIS TESSERAM

PRO

TOT TANTISQUE IN SE COLLATIS

BENEFICIIS

SUMMA REVERENTIA AC PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

Proemium.

Quamvis in universitatis litterarum regiae Berolinensis institutis clinicis peritissimis celeberrimisque viris ducibus multorum morborum curandorum mihi occasio erat, non ea tamen observandi et experiendi facultate jam instructus sum, ut ex his observationibus aliqua artis medicae peritis nova haurire potuissem, quae ad provulgationem idonea habuerim. Quapropter quum me doctoris honores ambientem dissertationem conscribendi necessitas urgeret, neque immo tempus ad meliora producenda sufficiens concessum haberem, coactus sum materiem investigare, quae quidem multis jam pertractata, satisque cognita videtur, quam vero quum medendi methodum amplectatur, varia medicina compositam, cui multifuriae idem nomen tamen tribuitur, non ineptam habui, quin explicando quanam ratione singula haec remedia in eundem finem propinata agerent, eam accuratius dilucidarem, in partes, quae simili modo agentia continerent diducerem. Difficillima attamen hujus materiei explicatio et paucum perfectum capto consilio respondet. Quam ob rem L. B. neque nimis severe, neque acerbe de juveni auctore judicare, ejusdemque primum opusculum cum indulgentia recipere atque meminisse veli tempus breve artem vero longam esse!

Omne auxilium corporis aut demit aliquam materiam aut adjicit, aut evocat aut reprimit, aut refrigerat, aut calefacit, simulque aut durat aut mollit.

Celsus de Medicina l. II. cap. IX.

Introductio.

Nullius certe morbi curatio adeo pertracta atque dilucidata est quam inflammationum. Inflammationi enim interdum medicamentis mederi vales, quae causas remotas tollunt; hinc in earum curatione semper prima, ut in omnibus morbis causarum remotarum ratio habenda est. Quae quum saepe aut removeri vel innocuae reddi non possint aut morbus earum concursu conciliatus sua propria sponte consistat, causa proxima vel natura morbi respicienda est.

Causae vero proximae methodus vulgo sic dicta antiphlogistica praecipue obstat, quae multifaria atque quam maxime differentia medicamenta complectitur. Neminem enim fungiet multum interesse inter varia remedia quae vulgo medicamentorum antiphlogisticorum nomine comprehenduntur quo omnia in genera designari solent, quae adversus inflammationes valent. Quae quum ita sint, medici in eligendis remediis interdum in aegri detrimentum errant, medicamenta antiphlogistica habendo, quae minime antiphlogistica sunt. Alia enim horum medicamentorum in morbi causam proximam directe agunt; alia vero indirecte, per antagonismum, excitando novo morbo in remotioribus partibus; alia amovendis causis remotis etiam causam proximam tollere valent. Primis itaque tantum nomen antiphlogisticorum tribuendum, atque in horum medicamentorum variam naturam atque agendi modum subtilius inquirere mihi operis pretium esse videtur.

§. 2.

Priusquam accuratius exponam, qua ratione haec varia inter se differant atque in classes redigi possint, liceat de quaestione, quaenam sit inflammationis natura respondere. Neque vero ullus credere velit me novam hypothesin de inflammationum natura in lucem editurum, novasque certioresque definitiones provulgaturum esse, quod nunquam mihi in mentem venit, quodque omnem auctoris admirationem sui superbiamque excederet, quum tot tantique viri peritissimi doctissimique a prioribus ad novissima usque tempora inflammationis naturam detegere vane studuerant atque in animo agitaverint ut huic doctrinae adhuc tam obscurae lucem clariorem incenderent.

Quum vero magna in hujus morbi explicatione dissensio sit, indicandum est, quae maxime a prioribus dicta sunt, quo facilius mea quoque opinio interponi possit.

§. 3.

Alii enim auctorum inflammationis causam proximam in obstructione vasorum, alii in exsudatione in telam cellulosam, alii in transitu et in diaphanis atque lymphaticis vasis sanguine impletis alii denique in stimulo in ultimos vasorum fines agente posuerunt.

Veterum opinione omnes morborum causae contentis vasorum insidebant: Herophilo nempe visum est, teste Celso [1]) in humidis omne vitium esse; Hippocrati vero in spiritu, quo arterias impletas credidit. Erasistrato placuit sanguinem in eas venas, quae spiritui accomodatae sint, (arterias) transfundi, et eo inflammationes excitari, eam-

---

1) Celsus de medicina libr. I. praefatione.

que talem motum efficere, qualis in febre est. Asclepiades vero contendit, manantia corpuscula per invisibilia foramina subsistendo iter claudere. Galenus credidit, inflammationem in eo versari quod ad aliquam corporis partem nimium sanguinis adflueret, quo vasa ita implerentur, ut sanguis exsudaret.

§. 4.

Posteriores inflammationem a propria sangninis qualitate derivarunt, de qua vero magna inter eos erat dissensio: Aliis sanguis densior atqne tenacior quo vasa obturarentur inflammationem progignere videbatur, quae Boerhavii erat opinio. Hicce scilicet dixit [1]: inflammationem esse impeditum sanguinis transfluxum in venas et attritum a motu reliqui cruoris arteriosi moti, quod ergo fieri possit vel in finibus arteriosis, vel in vasis lymphaticis arteriosis, ita dilatatis osculis ut admissos globos rubros transmittere non possent.

Van Swieten [2]) aeque inflammationem oriri contendit: si sanguis ruber in minimis canaliculis subsistens comprimitur, et vi sanguinis a tergo prementis, et febre, quae plerumque adest, fortius moti, teritur, quod saepius ergo exinde oriri si humores densiores in vascula amplificata agitantur. Omnes corporis humores motu aucto caloreque inde majore, in indolem plane innaturalem abire possunt, et id quidem fit sive pressione majore, et partium aquosarum jactura spissationeque calore effecta, sive acrimonia inde exorta.

Alii (Pringle [3]) sanguinem in inflammatione acriorem esse credunt.

---

1) Boerhavi aphorismi de cognoscendis et curandis morbis §. 371.

2) Van Swieten Commentar T. I. p. 295. §. 100.

3) Pringle appendix of the disease of the army. Lond. 1752.

Alii (Sauvages [1]) a proprio miasmate eam derivant.

Alii (Hoffmann [2]) Wedekind [3]) inflammationem in nisu ad putridinem ponunt.

Et Hewsonii [4]) opinione sanguis magis solutus est; aliis vero sanguis densus et acris simul creditur.

§. 5.

Rencentiorum nonnulli inflammationem partibus solidis tantum insidere existimant et aut vasis quidem, [5]), quod ad veritatem propius accedere videtur; aut telae cellulosae [6]) quam vero opinionem jam Hebenstreit [7]) subtilius refutavit.

Magis veritati appropinquare videntur, qui inflammationis causam annomalum stimulum habent, in partes solidas et in ipsa vasa agentem. Qua Halleri [8]) definitione, quae vero jam a van Helmont proposita erat, fere omnes nituntur definitiones posteriores. Sed de modo, quo hicce stimulus agit, et de ejus effectu opiniones jam differunt. Hallerus [9]) sanguinem nimio affluxu in telam cellulosam exsudatum stimulum esse di-

---

1) Sauvages nosologia methodica. Amstel. 1763.

2) *Hoffmann von der Entzündung und ihren Folgen inej. vermischte Schriften T.* 1.

3) *Wedekind allgem. Theorie der Entzündungen und ihrer Ausgänge. Leipz.* 1791.

4) *Hewson vom Blut, seinen Eigenschaften und Veränderungen.*

5) Jos. Platner institut. chir. P. 1. p. 8. Halleri elem. physiol. T. 1. p. 116. ejusdem opuscula pathologica p. 108.

6) Buchner diss. de inflamm. ejusque in tela cellulosa frequentiss. sede. Halae 1776. *Brandis über die Lebenskraft. p.* 113.

7) *Hebenstreit Zusätze zu Benj. Bells Abhandl. v. d Geschwüren.*

8) Haller Elem. phys. T. 1.

9) l. c. T. 2.

xit. Alii [1]) posuerunt oscillationem auctam stimulo in vasis exitatam, et relaxationem sequentem, qua sanguis acumularetur.

Alii (Richter [2]) crediderunt oscillationem et contractionem fibrarum sensibilium stimulo augeri, tensionem spasticam et humorum affluxum auctum effici, et motum sanguinis per partem affectam accelerari. Celerior autem sanguinis circulatio, vasorumque expansio cum inflammatae partis contractione spastica simul existente cogitari non possunt; et ipse Richterus alio loco confitetur oscillationem vasorum et motum fluidorum mitiore stimulo augeri, fortiore vero coarctationem spasticam vasorum oriri, qua quidem de causa in mitioribus inflammationibus fluidorum partis inflammatae secretionem augeri, in vehementioribus siccitatem et secretiones suppressas apparere.

§. 6.

Jam ad novissimas de inflammatione distinctiones aggrediamur, quibus fere omnibus inflammationis sedes in vasis et quidem in minimis vasorum finibus, in vasis capillaribus, ponitur; causa vero iis stimulus est, de cujus agendi modo auctores ex aliqua parte jam dissentiunt: Alii [3]) scilicet minima vasa et maxime quidem venas a stimulo naturae non conveniente spastice coarctari et inde congestionem stagnationem et qualitatem humorum nimis irritantem enasci dicunt. Alii contra [4]) inflammationem in vasis capillaribus ar-

---

1) *Macbride Systematische Einleitung in die theoretische und pract. Arzneikunde.* Platneri supplementa in J. Platneri instit. chir.

2) *Richters Chirurgie T.* 1. §. 4. seq.

3) *Cullen, Richter (Therapie T.* 1.) *Winterl* (inflammationis theoria nova) *Kratzenstein* diss. sist. theoriam inf.

4) *Bichat, Maier, Bartels (path. Untersuchungen)*

teriosis obtinere contendunt, quia haec majore incitabilitate gaudere videntur, sanguinem vero in venis post mortem accumulatum a horum vasorum paralysi deducunt. [1]) Huntero [2]) inflammatio est aucta virium vitalium activitas, et sanguinis congestio ab arteriis eum celerius advehentibus oriri ei videtur, qua vasa expanduntur et partes affectae rubrae redduntur.

Brown [3]) et Röslaub [4]) contendunt inflammationem esse morbum asthenicum. Marcus [5]) docet eam nihil esse nisi potentiam momenti electrici in unam organismi dimensionem (reproductionis, irritabilitatis et sensibilitatis. Alii (Reil [6]) Himly) inflammationem esse anomaliam localem processus vegetationis dicunt. Hi auctores nullam obstructionem vel coarctationem spasticam adesse contendunt [7]) sed iis potius vel sanguis ipse vel lympha coagulabilis in vicinam cellulosam transsudari videtur; sive hoc fiat nervorum irritatione sive vasculorum erethismo ac in contentos liquores agitatione.

§. 7.

Quibus comparatis inflammatio igitur certe morbus est virium vitalium, qui stimulo vel externo vel interno enascitur. At non minor est affectio morbosa systematis sensibilis quam irrita-

---

van den Bosch (Theor. u. practische Bemerk. über d. Muskularvermögen der Haargefäfse, et jam Boerhavius l. c. P. Frank epitome de cognosc, et curandis morbis T. 2.

1) *Reil Fieberlehre T. 2. p. 233.*

2) *Hunter Versuche über d. Blut. d. Entzündung und Schufswunden Lips.* 1797 *T. 2. Sect.* 1.

3) Brown on inflammation.

4) *Röslaub Magazin T.* 6. parte 2.

5) *Marcus specielle Therapie.*

6) *Reil* l. c. T. 2.

7) Frank epitome l. 2.

bilis. Sensibilitatem enim comprehensam esse dolores et tot tantaque probant alia phaenomena nervosa, quae vulgo inflammationes comitantur. Si sola irritabilitas pateretur, nihil nisi congestio exoriretur, quae quidem inflammationis causa fieri potest, si sensibilitas nempe incitamento sanguinis nimia quantitate peccantis male afficitur.

Inflammatio quoque anomalus processus vegetationis haberi debet, qnippe quae ad formationem quoddam temporis spatium sibi exposcit, et mutationem materiae organicae efficit. Sanguis in vasis vasculisque capillaribus ita accumulatur ut oscillatione vasorum vehementiore aliqua sanguinis pars fortius justo in fines exhalantes agatur, oscula inde dilatentur, eademque adeo mutata qualitate tantaque quantitate exhaletur, ut vasis absorbentibus resorberi non possit, mox organica fiat et nova vascula formet [1]), quod Anatomia pathologica demonstrat. Forsan denique coarctantur spasmo ultimi vasorum fines nimia ab impulsu sanguinis effecta irritatione, quod quibusdam symptomatibus e. g. pulsu in vehementiore inflammatione contracto minore aut molli manifestari vedetur.

Sedem [2]) suam ergo inflammatio in systemate vasorum, et quidem in vasis capillaribus vel in vasorum finibus inter arterias atque venas intermediis occupat; et si etiam vasa majora nonnunquam inflammata conspiciuntur, nonnisi vascula capillaria eorum tunicis insidentia inflammata sunt [3]); neque enim sanguis, neque tela cellulosa, nec cerebrum nec musculi inflammari possunt, quod Hebenstreit evidenter probavit [4]).

1) Hunter l c. T. 2. Sect. 1. p. 132.
2) Conf. Boerhavi aphorism. §. 373.
3) Hunter l. c. Sect. 2. p. 123.
4) *Hebenstreit* l. c.

§. 8.

Inflammatio autem et fluidis et vasis originem suam debet, quum primum aut a sanguine, aut a vasis, aut ab utroque commune simul affecto oriri possit. Sanguis enim vel quivis corporis humor et qualitate et quantitate in vasorum irritabilitatem absolute nimis irritans fieri potest, unde vasorum reactio augetur eademque morbo afficiuntur.

Neutiquam enim vasis solis causam inflammationis tribuere licet, quum variae res: cibi, potus et ipse aër fluida mutare possint. Attamen et vasa ab initio sola afficiuntur, irritabilitate eorum morbose mutata, ita ut sanguis nimii stimuli modo in ea agat, eorum actionem et contractionem auctam excitet, quo ipse celerius justo movetur paullo morbose mutatur et ad secretionem lymphae plasticae propensus efficitur. Vasa enim tam intime omnibus corporis partibus internis et externis conjuncta atque tanto nervorum numero instructa sunt, ut quam facillime afficiantur; etiam nervos maximi momenti in inflammationibus esse ex multis patet phaenomenis.

Uterque vero status morbosus et sanguinis et vasorum principio simul existere, et se invicem constituere valet.

§. 9.

Inflammatio igitur a stimulo pendet, quem celeberrimus Frank [1]) optime descripsit, dicendo: Si causae hypersthenicae febris in unum magis eundemque corporis locum agendo fortiorem in hoc ipso produxerint stimulum, nascitur tum in ejusmodi loci systemate partiali id idem,

1) P. Frank l. c. T. 2. p. 6.

quod in universo ad fortissimas cordis majorumque vasorum agitationes contribuit. Vim igitur vitalem nervorumque sensibilitatem in parte inflammationem subitura manifeste conspicimus auctas.

Quaevis pars propriam suam habere videtur irritabilitatem, quae propriis stimulis obtemperat, nec a stimuli sola vi proficiscitur inflammationis gradus, sed quo minus stimulus parti admotus illius irritabilitati respondet, eo major inde sequitur irritatio.

Hicce stimulus si in nervos agit, eorum reactionem, nempe dolorem et oscillationes vasorum auctas excitat, quibus sanguis citius movetur, ut pulsus jam ab initio saepe in parte affecta frequentior fiat, quam in caeteris corporis partibus. Si quidem vero vasculorum minimorum receptivitas stimulo increvit, eorum oscula spasmo constringi possunt, quum sanguis citius motus ea irritet, quod pulsibus tum temporis minoribus suppressisque supra jam memoratis probari videtur. Unde congestio sanguinis exoritur, qui vasa lymphatica eodem stimulo debilitata [1]) penetrat, et tali modo partis inflammatae ruborem progignit [2]). Seri, lymphae, vel ipsius sanguinis exsudatio tumoris fons habendus est. Lympha plastica [3]) vero exsudata, quae inflammatione majorem vim vitalem nacta est, in novas abit organicas partes, ita ut membranae etc. vasis lympham vel sanguinem gerentibus instructae oriantur.

Quae ita se habere et signa edocent inter vitam manifesta et sectiones probant post mortem institutae.

Inflammatio ergo est partialis vasorum a stimulo externo vel interno effecta mutatio, in qua

---

1) Frank l. c. p. 9.
2) Reil l. c. p. 238.
3) J. Hunter l. c. Sect. 1. p. 102. — P. Frank l. c. p. 7.

et eorum irritabilitas praeter naturam augetur et humorum massa aut qualitate aut quantitate nimis irritans redditur, ita ut stimuli modo agat; quas affectiones congestio et exsudatio sanguinis, lymphae aut seri concomitantur et sequuntur.

§. 10.

Inflammationis natura pertractata, tempus est rem ipsam aggrediendi.

Nullum fortasse medicamentum est, quo non in morbis inflammatoriis utereris. Experientia autem edocuit eorum nonnulla esse, quae diversissima quidem in eo uno tamen conveniant, quod nimium humorum vasorumque motum, calorem, atque dolorem temperando in inflammationes agere valeant; unde vulgo nomine remediorum antiphlogisticorum comprehenduntur. Hoc nomen aut a Phlogisto ortum duxisse videtur, quod veterum opinione in rubra sanguinis parte abundavit [1]), quum hanc portionem in inflammationibus, excedere caloremque simul auctum esse viderint; antiphlogistica itaque medicamina iis existimabantur, quae phlogiston minuendo, calorem temperant atque refrigerant; aut ab inflammatione, quae ob causae et effectuum similitudinem ab igne nomen habet, haec medicamenta antiphlogistica appellata suut.

§. 11.

Remedia antiphlogistica ergo inflammatoriis morbis praecipue mederi valent. Sed nemo certe est, qui dubitet, etiam haec remedia multum inter se

---

[1]) Ganbii institutiones medicae §. 355. et §. 362.

se differre; prout in sanandis inflammationibus vel causae remotae vel proxima, vel gravissima symptomata praecipue respicienda sunt.

Haec autem non omnia antiphlogistica dici possunt, quum si ita esset, etiam te assulam ex vulnere trahentem antiphlogistico usum esse contendere posses, quia tali ratione inflammationem modo enascentem sustuleris.

§. 12.

Haec igitur varia remedia, quae omnibus inflammationibus mederi valent, in tria genera deducenda sunt; antiphlogistica antispasmodica et derivantia, prout inflammatinem tollunt, vel phlogosin minuendo, vel spasmum sedando, vel nimias vires subvertendo, vel alium morbum excitando.

Remedia antiphlogistica sunt quae causam proximam inflammationis directe tollunt, irritationem igitur systematis vasorum alicujus partis, totiusve organismi aut removendo stimulum aut minuendo irritabilitatem, temperant, quin qualitate propria nimis irritante inflammationem organorum affectorum augeant. Huc pertinent sanguinis missiones atque ea remedia quae calorem minuunt; frigus et calor moderatus, acida vegetabilia et mineralia diluta. Quibus non tantum vitae actiones sed ipsa vitalitas minuuntur.

Antispasmodica spasmum et dolores inflammationem augentes et alentes temperando agunt, et tali ratione exauctam vitae actionem subvertunt, nec minus auctam vasorum irritabilitatem auferunt, atque eorum oscillationem leniunt. Ita causa proxima quidem iis etiam tolli potest, sed indirecte. Quum vero simul excitando agant non omnibus inflammationibus conducunt, immo saepius detrimentum inferunt. Huc spectant omnia narcotica, calorem moventia et leniter stimu-

lantia remedia, quorum usu corpus nullo modo directe debilitatur, sed hyperincitatione tantum (venia sit barbarae voci) systematis nervosi turbulentia sedatur.

Remedia derivantia saepe inflammationibus praecipue minoris gradus et febri inflammatoriae indirecte mederi valent, novum morbum in parte ab inflammationis sede remota excitando, virium actiones, congestiones etc. a parte inflammata derivando, secretiones augendo, quibus efficitur ut sanguinis accumulatio a parte inflammata deducatur et ad remotiores corporis partes derivetur. Quae remedia itaque per atagonismum agunt. Multum etiam ad inflammationum curationem, stimulum in sanguinem agentem, si tubo intestinali etc. insidet, complicationes v. c. gastricas rheumaticas auferendo conferunt. Calorem levant et fibram nimis intensam laxant. Simul vero in nonnulla organa excitando agunt, quamobrem quibusdam inflammationibus non conveniunt.

Saepius etiam nimia evacuatione humorum ad corporis nutritionem maxime necessariorum plus justo vires consumunt, et novam specificam febrem et inflammationem excitare valent; quocirca circumspectus sit horum remediorum usus, ne majus detrimentum ac utilitatem afferant. Ad hanc remediorum classem pertinent praeter salia neutra et medica, vesicantia et rubefacientie, diaphoretica etc., quae in quibusdam inflammationibus maximo sunt usui. Inter haec remedia tamen aliquid quoque interest, quum priora (salia laxantia etc.) praecipue per alvum, posteriora vero potius per cutem etc. derivent.

§. 13.

Inflammatio, quae (ut supra jam expositum est) et causis remotis quam maxime inter se variis et causa proxima progignitur, tollitur si sti-

mulus inflammationem efficiens removetur, auctaque virium vitalium actio minuitur et moderatur. Omnino vero causam proximam tolli oportet, quum sine hac ratione inflammatio sanari non possit. Causa vero proxima tollitur si primo in causas remotas agimus, deinde in causam proximam vel removendo vel sedando vel derivando. Causa remota autem modo mechanica modo chemica, modo dynamica est, et haec iterum saepius consensualis aut antagonistica. Ad amovendas causas remotas multis utimur medicamentis mechanicis chemicis et dynamicis: antispasmodicis, laxantibus, emeticis diaphoreticis antisyphiliticis etc.; quae quidem, qum illas amovendo etiam causam proximam tollant, non ideo tamen antiphlogistica appellari possunt, (ut jam supra exposui).

Nonnullae vero causae remotae non amovendae sunt, nisi inflammatio antea moderata sit, aliae tam obiter agunt, ut plane jam disparuerint, aliae etiam cognosci non possunt. Causis remotis itaque sublatis aut respectis nihil nisi causa proxima remanet, in quam deinde agendum est.

§. 14.

Causam proximam omnia remedia modo nominata tollere valent, alia directe alia indirecte derivando humores et leniendo erethismum vasorum, spasmos dolores etc. Remedia antiphlogistica directe causam proximam tollunt, auctam vasorum irritabilitatem, et stimulum a sanguine effectum minuendo auferendoque, quum ut supra dixi causa proxima inflammationis nihil sit nisi vasorum aucta irritabilitas et reactio, et humorum ad instar stimulorum agentium qualitas vel relative vel absolute nimis excitans. Cui vero annomaliae saepe etiam caetera remedia adhiberi opor-

tet, quum totius constitutionis in genere ratio habenda sit, priusquam localem respiciamus.

In curandis inflammationibus princeps finis est morbum discutere, qui si non discutitur, in sanitatem etiam abire non potest; et maxime ejus resolutioni respondet methodus antiphlogistica; sed non quaevis inflammatio admittit resolutionem, neque in qualibet eam intendere licet. Saepe etiam sua sponte resolvitur inflammatio.

Medicamina vero in curatione inflammationem ligenda, et stadio morbi, et charactere inflammationis, majore vel minore receptivitate propria affectae partis, humorum qualitate, constitutione corporis et anni definiuntur, ita ut modo excitantia modo deprimentia adhibenda sunt.

§. 15.

Antiphlogistica ergo directe in inflammationem agunt, et processum inflammatorium ipsum tollunt, quin novum morbum progignant, aut partem inflammatam aliquo modo excitent. In primo autem morbi stadio tantum, vel in inflammatione hypersthenica his remediis uti possumos; vel si morbus rubore splendente, dolore vehementissimo pungente, urente, tendente, gravativo calore validissimo, tumore elastico duro, intento, circumscripto, manifestatur. Quum haec symptomata vero in partibus internis inflammatis percipi non possint, morbi natura e functionibus organi inflammati, caeterorum organorum huic correspondentium et cum eo cohaerentium laesis, pulsa frequente, modo pleno, forti duro, modo parvo et molli, respiratione accelerata, spiritu calido, urina rubra, caeterisque Synochae symptomatibus cognoscitur. Quae vero medicamenta inflammationem solvunt reactionem affectae partis nimiam moderando massamque fluidorum vel totius organismi, vel sanguinis tantum abundantem

minuendo. Ea certe ubique sufficerent morbumque tollerent, si modo idoneo tempore in usum vocarentur et in quolibet inflammatione iis uti liceret. Quodne vero tempus curationi idoneum sit saepe nos fugit; nec non hominis constitutio etc. hujus medelae usum interdum prohibent. In nonnullis inflammationibus vero directe in causam proximam agere non possumus, quum vel debilis constitutio, vel causae remotae vel complicationes periculosae medendi methodum antiphlogisticam interdicant. Omnibus autem sthenicis morbis tam localibus quam universalibus maxime convenit, eaque naturae medicatricis conatibus, in quibus omnis medela versatur, optime subvenimus, quippe quae causam proximam inflammationum tollat. Sublata vero causa proxima tollitur effectus, annomala vasorum reactio, vehementissima oscillatio, humorum praecipue vero sanguinis turgor et turbulentissimus motus moderantur, spasmi dolores, caeteraque symptomata e systemate nervorum originem ducentia auferuntur, calor nimis auctus temperatur, febris ab affectione nervorum et irritatione cordis orta, levatur, et tumor partis affectae vel ab exsudatione lymphae plasticae vel ipsius sanguinis vel impletione vasorum natus decrescit.

§. 16.

Remedia antiphlogistica aut in universum agunt aut in locum affectum; iis adnumeranda sunt: venesectio, applicatio hirudinum, scarificationes, usus frigoris interni vel externi diutius continuatus, calor moderatus extrinsecus et intrinsecus adhibitus, acida vegetabilia et mineralia diluta, victus vegetabilis, parcus; quae vel totum organismum debilitando vel nutritionem minuendo agunt.

Venaesectio maximum est antiphlogisticum;

sat largo vulnere suscepta, et quoad quantitatem pro usus exhibeat neque nimis parva neque nimis larga, aut ex ipsius inflammatae, aut eidem vicinae partis venis instituta, stimulum cordis arteriarumque devellit, quum sanguinis copiam et vasorum auctam reactionem minuit, atque stagnantis in tela cellulosa materiae resorptioni summopere favet; uno verbo conditionem hypersthenicam tollit, sitve vasorum sitve sanguinis affectio primaria. Ea stimulum vitae maxime necessarium, et nutrimentum irritabilitatis vasorum demit expansionem vasorum et pressionem tensionemque fibrarum mechanicam imminuit. Nimia quidem adhibita valde debilitat, et vim naturae medicatricis frangit; apta verò quantitate in omnibus fortasse inflammationibus valet, si organismi conditio eam modo patiatur. Vulgo quidem in sthenicis tantummodo adhibetur inflammationibus vehementioribus; in caeteris minoris momenti alia remedia sufficiunt; sed in nulla inflammatione, ne asthenica quidem absolute contra indicata est; et ipse jam in mulieribus maxime debilibus, scrophulosis et in polyclinico universitatis cel. Hufelandio subjecto maximo cum effectu venesectiones institui, quae ad speciem igitur robur corpori reddunt. Iam *Celsus* docuit [1]) nullum paene morbum esse, aut nullam aetatem, in quibus sanguis mitti non posset; interesse enim non quae aetas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quae vires sint.

Magnum venaesectionum usum, adeo notum quidem, ut non necesse sit, de eo sermonem habere, saepins in polyclinico universitatis ipse etiam expertus sum: In muliere pravae constitutionis metritide laborante sanguinis missio in pede instituta et applicatio duodecim hirudinum ad genitalia non tam ad morbum tollendum sufficie-

---

1) Cels. l. 2. cap. X.

bant sed immo morbo scrophuloso etiam contra quem antea per longius tempus adhibita optima antiscrophulosa nihil valuerunt, ita liberata est. — Tempestive vero, et in casu apto large sine timore adhibenda est venaesectio, et aut ex ipsa parte affecta, vel huic proxima. quod jam veteres (Celsus [1]) edocuerunt.

Simili modo ac venesectiones agunt *Scarificationes* et *hirudines* et *cucurbitularum cruentarum* applicationes, quae in minore inflammationis gradu, aut statu asthenico conducunt, quum minorem sanguinis quantitatem detrahant. Simul vero leni cutis irritatione adfluentiam humorum ad cutem efficiunt, qua congestionem a parta inflammata derivant.

§. 17.

Frigus multum valet in morbis inflammatoriis et vere magnum antiphlogisticum habendum. — Sunt sane, qui opponere vellent, ex frigore inflammationem oriri, idemque excitando agere; at jam Frankius [2]) admonuit non efficere frigus per se inflammationem, sed producere eam, quatenus debilitando partes disponat ut ab applicato caloris stimulo magis afficiantur. Perniones itaque non tam a frigore veniunt, quam a calore mox admisso, quo pars debilitata plus justo irritatur. Frigus receptivitatem alicujus partis ita adauget, ut calorem eo citius intensiusque percipiat. Ita etiam angina, pneumonia, gastritis etc., non ex ipso frigore stimuli modo agente, originem ducunt, ut vulgo existimatur, sed quod caloris receptivitas eo augeatur. Frigus vero subito et per

---

1) l. c.
2) Frank l. c. p. 9. *Himly Handbuch der practischen Heilkunde* §. 239.

brevius tempus applicatum, vim vehementer excitantem habere videtur. Quod non explicandum nisi meminisse velis calorem esse maximum vitae stimulum, frigore vero hunc stimulum detrahi, receptivitatem inde accumulari nisi stimuli defectus ultra tempus protrahatur. Frigus vero subito et per breve tempus adhibitum receptivitatem caloris adauget, eam accumulando, ita ut calor modicus, qui ante frigoris usum nullam incitationem effecisset, jam tanquam major stimulus agat. Frigus vero, si diutius agit receptivitatem exhaurit. In genere modicum frigus et diutius applicatum minuit irritabilitatem, stimulum quem calor exserit demit, fibramque contrahit. Calor contra incitat et expandit. Frigus et calor vice versa applicata vehementer excitant, et in corporibus maxime robustis energiam manifeste adaugent; frigus autem diutius applicatum astheniam necessario progignit, quum plane deficiente incitatione vires restaurari nequeant, igitur decrescant. Unde patet frigore irritabilitatem, quae tanquam vis, si conservari debet, excerceatur, opus est, minui; frigus itaque antiphlogisticum esse ejusque in morbis inflammatoriis usum et extrinsecus et intrinsecus multum valere. — In pernionibus lavacra glaciei, nivis aut aquae frigidae maxime perficiunt. Quum quidam gelifactus in inflammationem inciderat, quae partim jam in gangrenam abierat, cel. doct. Kuntzmann lavacra glaciei et nivis per plures dies adhiberi curavit, quibus gangrena decessit, inflammatio sublata, et crus aegro conservatum est. In Encephalitide maximo cum usu capiti fomentationes frigidae applicantur, (sed non conducunt nisi sanguis ante missus sit). In statu hypersthenico continue, in asthenico vero per intervalla imponi debent [1]); frigus etiam naphta capiti

---

1) *Hufeland Heilkunde der Fieber. p.* 100.

instillata, quae calorem exsorbit producitur. Magnum transfusionum frigidarum usum in Encephalitidi saepius in nosocomio caritatis observavi, quibus homines modo soporosi ac fere jam mortui, mox in vitam et sanitatem revocati sunt. Multum valet frigus in inflammationibus topicis, cutaneis, exiguis aut incipientibus; quas modo discutit sanguinem repellendo, incitationem supprimendo, praecipue si pars affecta vel per se laxior vel per inflammationis causam relaxata est. Contra pneumonias malignas Sarconius pectus nive fomentari commendavit, [1]) quod autem periculosissimum videtur, quum sanguis a cute ad pulmones repellatur, et in his congestio et irritatio augeantur. At non tantum extrinsecus sed etiam intrinsecus frigus adhibendum est; potuum enim frigidorum usus in morbis inflammatoriis sat notus est quam ut eum ulterius dilucidem; et magis adhuc proficerent si frigus in intestinis retinerent.

Exinde patet, frigus inflammationi praecipue oppositum esse, nec unquam eam per se producere. Materiae organicae tonum adauget, illius chemicae transmutationi obstat; ideo processus chemico vitalis sanguinisque metamorphosis eo minuitur. [2]) In omnibus inflammationibus frigus sane conduceret, si modo diutius, continue, et apto tempore partibus internis inflammatis applicari posset, quin postea iterum caloris incitamentum in eas ageret. Ubi vero apte adhiberi potest, ibi egregia est frigoris efficientia, (namque non modo erethismum vasorum eorumque receptivitatem minuit sed etiam stimulum sanguinis repellit, congestionesque prohibet.) Mox insequuntur caloris remissio, dolorum levamen delirii moderamen lenis transpiratio, durities evanes-

---

1) Reil l. c. p. 312.
2) Hirsch l. c. p. 25.

cens, pulsuum eximis retardatio. Wright enim pulsus de ictibus 100 ad 90 immo 80 ex solis frigidis lotionibus retardari observavit.

De frigoris usu jam *Celsus* [1]) loquitur: prodesse nempe juvenibus et omnibus plenis; aquam vero frigidam infusam, articulis doloribusque; qui sint sine ulcere prodesse.

Ubique tamen eo uti non licet; in inflammationibus partium profunde sitarum frigus externum nocet, quum sanguinem magis ad internas partes depellat; nonnunquam etiam calidiori parti affectae heterogeneum, aut inflammatio jam adeo progressa est, aut frigus non sat continue adhiberi potest, ita ut calor semper denuo excitando agat. Tum moderate et minore gradu hoc remedio uti velis. Calor quidem frigori oppositum videtur, quum exitando agat; sed nonnunquam ad instar frigoris minoris agit; si nempe affecta pars valde inflammata, tensaque est, et vehementer calet, inflammatio etiam diutius jam perduravit. Si tum temporis nimius frigoris gradus adhiberetur, omnis ardor eo non plane supprimeretur, et calor vicinae et profundius sitae, parti propius, inflammatam adeo irritaret, ac sic alternatim fomentationes frigidae et calidae adhibitae essent, quae vero multum irritare experti sumus. Qua ratione calor moderatos nonnunquam magis proficit quam frigus, et tum nihil est nisi mitissimum antiphlogisticum.

Omnino vero color multum inflammatori conducit, at non semper antiphlogistice agit, sed nonnunquam, si majoris gradus est, modo hyperincitatione, modo derivatione, modo frigus externum, calori partis affctae non respondens prohibendo. Unde calor externus in inflammationibus viscerum multum adjuvat. Ast etiam cave tibi

---

1) Cels. l. c. cap. IX.

ne calorem inepte et nimis diu adhibeas, quod fibram relaxet, et partem inflammatam in suppurationem propensam reddat.

Calor corpori detrahi aut communicari potest mediis aëriformibus, fluidis et solidis; fomentationibus, balneis, cataplasmatibus, vaporibus, potionibus. etc.

§. 18.

Acida vetagetabilia et mineralia diluta in causam proximam inflammationis directe quoque agunt minuendo calorem et vasorum receptivitatem, contrahendo vasa expansa et prohibendo sanguinis congestiones atque exsudationes. Eorum in sanguinem efficacia vi iis propria haemorhagias formando coagulum sistendi probatur atque ea quod stomacho ingesta sanguini oxigenium suppeditare valeant Acida maxime conducunt in febre inflammotoria, refrigerando, sitim et nimiam vasorum oscillationem sistendo, aeque vero et asthenicae et hypersthenicae constitutioni adhiberi possunt, quia nec irritant nec debilitant.

§. 19.

Quamvis remedia antiphlogistica plurimis inflammationibus curandis sufficiant, sunt tamen conditiones, quibus directa antiphlogistica methodus non conveniat. Inflammatio enim nonnunquam magna debilitate aut aliis morbis, praecipue gastricis et nervosis, qui illam vel sustinent vel augent, complicata est; aut jam diutius perduravit, quin ea methodus morbo jam mederi valeret, aut metaschematismo aut metastasi in alium morbum abiit ab hoc medicinae genere abhorrentem; aut constitutio corporis vel annua usum antiphlogisticorum non patiuntur; aut morbus adeo exiguus

est ut mitiora remedia sufficiant; aut ejus causa remota jam perdurat, (de qua quidem jam sermo erat). Remedia antiphlogistica sola interdum ob morbi vehementiam non sufficiunt, et aliis sustentanda sunt. Quae si ita sunt remediis in causam proximam indirecte agentibus utendum est.

Indirecte vero in inflammationem agimus medicamentis vel in universum organismum vel in solum locum agentibus; quae vel nervorum actionem sistendo et irritabilitatem auctam minuendo, vel per antagonismum derivando et revellendo morbi stimulum, vires atque humores, et producendo novum morbum medelam perficiunt. Itaque remedia antispasmodica et derivantia tum temporis conducunt, quae causam proximam quidem non directe tollunt.

§. 20.

Antispasmodica totius corporis et praecipue vasorum receptivitatem minuunt, ita ut morbi stimulus non tantum eorum reactionem excitare valeat. Quum vero sanguinis turgorem non auferant, sed potius congestiones efficiant, non omnibus hujusmodi morbis conveniunt, eorumque usus magnam poscit circumspectionem et experientiam. Ad sedandum nervorum erethismum, multum proficiunt aeque etiam aut in secundo inflammationis stadio, aut in initio morbi. Quaedam incitamenta (dolores, spasmos, oscillationes) inflammationem vel excitantia vel alentia potissimum amovere valent, quam ob rem tantopere couducunt in inflammatiooibus viscerum abdominalium caet. Fracta inflammatione ut jam Frankius [1]) monuit, quum astheniae stadium saepe ingrediatur leniter sti-

---

[1]) Frank l. c. p. 21.

mulantia conducunt. Sed circumspectus sit ejusmodi remediorum usus, ne conditio quae vix exspiravit hypersthenica in vitam denuo revocetur.

Opium vere maximum hujus ordinis remedium habetur, quum ullo melius dolores et spasticas affectiones tollere valeat. Notissimum enim est hujus medicamenti usus in Ophthalmia et inflammationibus dolorificis, ut e. g. in Nephritide a lapide renum provocata, vel in inflammmationibus intestinorum, a quadam causa mechanica ortis, ut v. c. in hernia incarcerata sqastico inflammatoria.

Multum etiam valet ***Digitalis***, cui non tantum inest principium narcoticum sed etiam acre quae ex effectibus ejus a Hirschio [2]) in sua dissertatione copiose enumeratis patent. Notatu digna praecipue est ejus efficientia in pulsum, quem adeo tardum reddit, ut saepe vix dimidium ad numerum referatur, immo subinde ad triginta quinque ictus intra sexagesimam horae partem redactus ut Murray [1]) enarrat. Quod eo auctore quidem contingit intra primum nycthemerum; sed si eadem dosis diutius continuatur intra diem unum vel duos, pulsus solitam velocitatem recuperat, quin immo excedit, simul tamen depressus est. Ipse ego hujus remedii efficientiam expertus sum, quum mulieri Phthisi florida laboranti infusum ℥*vjjj* ex ℈*jj* herbae paratum darem, cui pulsus a nonaginta, ad quinquaginta ictus lentior evasit, simul tamen etiam nausea, cephalea, horrore ex extremitatibus adscendente afficiebatur, quas quidem affectiones aceti usus mox moderavit. Hos antem effectus minores tantnm doses producunt; majores enim plerum-

---

1) Hirsch l. c. p. 91.
2) Apparatus medicam T. I. p. 731.

que circulationem adaugent. [1]) Sub sectionibus animalium digitalis usu enecatorum, quae quidem statim post mortem instituebantur, cor fere ab omni irritabililate destitutum plerumque inveniebatur. Unde patet illam vim vitalem deprimere [2]) vel minuere, et praecipue cordis irritabilitatem auferre; quam ob rem omnibus inflammationibus convenit, quibus remedia debilitantia non respondent, e. g. Pneunomiae in stadio secundo, vel Phthisi, si pulmones jam antea sanguine liberati sunt. Etenim si sub plethora irritatio cordis minuta est, hoc remedio aequilibrium inter vim motricem pondusque movendum tollitur, et sanguis in corde accumulatur, unde magna detrimenta enasci possunt.

Hyossyamus eodem fere modo agit, ac opium, mitius tamen, et saepius mihi occasio fuit in clinico universitatis magnum ejus usum experiri, quum opii nocivis qualitatibus expers sit.

Tandem quoque *acidi borussici* mentio facienda, quod omnium certe narticorum maximum venenum habetur, quoniam temporis fere momento omnem irritabilitatem aufert. Pulsus interdum accelerantur interdum vero retardantur ratione magnitudinis semper minuuntur; intestina eo ita afficiuntur, ut post mortem inflammata conspiciantur. Quod quidem vasorum sanguinis, organorumque respirationis vis vitalis exstingi videtur; ita ut vasorum motus initio acceleretur, deinde retardetur et immo tollatur, sanguis vero resolvatur. [3]) Itaque irritans vis praeter univer-

---

[1]) Orfila II. p. 288. Sauders inquiry concerning digitalis 1808. On pulmonary consumption. — Hirsch p. 36.

[2]) *Kreisig Herzkrankheiten. II.*

[3]) *Orfila Toxologie. III. Brodie über Entstehungsweise des Todes durch Pflanzengifte in Reils Archiv XII. p.* 156. *Ittner Beyträge zur Geschichte der Blausäure.* 1809. *Hufeland Journal XL,* 1. *p.* 85.

salem deprimentem huic remedio inesse videtur quae tamen in locum solum, cui applicatur, restricta est. Haec quidem eo etiam probantur, quod post mortem omnes musculi ita relaxati appareant, ut totum corpus lintei instar plicari possit [2]) stomachus vero interdum eo excorietur, quod Manzoni observavit [3]); sanguis tandem e vena missus plane mutatus ac saepe dissolutus conspicitur [4]). Ex his inde patet, hoc remedium, quod adeo fibrarum irritabilitatem minuit sanguinem resolvit, spasticumque simul nervorum statum sedat, inter prima collocandum esse, et multum in morbis inflammatoriis valere; idemque vero ob ejus qualitatem irritantem nullum antiphlogisticum haberi posse.

His remediis quoque adnumeranda sunt cataplasmata emollientia, quae sedando nervorum actionem, simul vero etiam, derivando agunt; quum partes in quibus applicantur calore adeo relaxant, quo majorem humorum massam recipere possint.

§. 21.

His pertractatis nobis jam supersunt derivantia, quae efficacissimo in inflammationibus usu habentur. Inter haec pertinent praecipue salia media et neutra. Quae calorem animalem valde minuere observantur, quam ob rem maximo cum commodo in febre hypersthenica adhibentur, et a veteribus jam antiphlogistica habita sunt. Ab his interim differunt et quod non directe in causam

---

1) Blumenbach med. Bibliothek. III. p. 719.

2) Manzone de praecipuis acidi prussici Ac. facultatibus medicis. *Hufelands Journal XLVIII.*

3) *Baylie Abhandlungen für pr. Aerzte. I. 2. p. 103. Hirsch l. c. p. 48.*

proximam agant, sed nonnisi derivando et excitando novo morbo eam sublevent, et quod propria qualitate excitante gaudeant. Quamvis multarum inflammationum curationem adjuvent, ab hoc medicinae genere tamen nonnulla abhorrent, quae motu tubi intestinalis adaucto graviores evaderent, igitur non omnibus pares sunt. Universum vero organismum ista remedia debilitare et refrigerare constat, quum humorum massam deminuant a parte affecto ad alia organa atque derivent; unde evidens eorum effectus in pulsum, quem tam valide deprimere dicuntur, ut ad evanescentiam usque minui possit. Specificam attamen istis medicamentis in inflammationes efficientiam certe non esse jam Reilio [1]) visum est. Per se enim inflammationem sanare non valent, sed ductum intestinalem vel renes, vel cutem caeteraque organa secernentia irritando.

Maximum hujus generis remedium certe Nitrum habetur, quod praecipue pulsum minuere dicitur [2]), quodque calorem removendo jam tantum valet. Nonnullae tamen constitutiones praecipue hystericae, a Nitro abhorrent: in instituto clinico obstetricio cel. Sieboldio subjecto, gravida quaedam curae meae tradita, constitutione laxa nervosa, vehemente pneumonia laboravit. Primo mane institutae venaesectioni omnia pneumoniae symptomata praeter febrem cesserunt, quamobrem aegrae mixtura ex ʒ*j*. Nitri et ℥*vjjj*. aquae composita porrigebatur; simulac vero quaedam sumserat istius medicaminis cochlearia, validissima accesserunt symptomata nervosa: pulsus minimus celerrimus fere formicans, spasmi vehementissimi, dolores, anxietas, respiratio difficillima et dolorifica. Reposito Nitro et assumptis nonnullis

coch-

---

1) Reil l. c. p. 586 — 304.
2) Orfila Toxicologie III. p. 168.

cochlearibus liquoris Kali acetici diluti cum extracto hyoscyami modo omnia disparuerunt phaenomena. Vespere tamen in exacerbatione febris denuo instituebatur venaesectio, et paullo iterum affectiones pectoris evanuerunt. Usu mixturae Kali acetici moderato, potionum tepidarum, et regiminis diaetetici parci non longe post reconvaluit. Quae observatio probare videtur, quam caute Nitro utendum sit.

Salia caetera Nitro similis sed mitioris sunt efficientiae, a quibus tamen Hydrargirum differt, quod maxime in systema lymphaticum agat. Hujusce nempe resorbendi functio augetur, quo fit ut lympha sub inflammationi exsudata resorbeatur, ad massam humorum reducatur; porro etiam major sub hujus medicaminis usu humorum copia ad vasa lymphatica affluit, quibus omnibus Mercurius derivando inflammationi mederi valet. Praeterea vero secretiones et evacuationes excitando augendoque corpus infirmum reddit, sanguinis reproductionem prohibet, et tali ratione detrimentum efficit immo proprias et specificas febres inflammationesque excitare valet.

Ad haec remedia quae novo morbo producendo agunt porro etiam spectant rubefacientia, vesicantia, setacea etc., moxa vel ferrum candens; quae partes externas, praecipue cutem cui applicantur adeo excitant, ut humoribus turgeant; quibus et humorum copia et virium actio a parte inflammata derivantur. Sic haec remedia multum in morbis inflammatoriis valent, praecipue in vulgo asthenicis appellatis, et in iis qui jam diutius perduraverunt; maxime vero in inflammationibus ossium atque periostei. Permagna de ignis efficacia colligere mihi in nosocomio Caritatis occasio fuit; et eximie probata sunt Hippocratis verba: quae medicamenta non sanant, ferrum sanat, quae ferrum non sanat, ignis sanat! —

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO

GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE BEROLINENSIS

ADIECTUM.

Ego Carolus Godofredus Zimmermann natus sum Hammonae, vico haud procul Hamburgo sito a. d. 29. m. Januarii anni nonagesimi sexti, saeculi decimi octavi, patre Carolo Godofredo, pastore hujus loci ecclesiastico matre Joanna Christiana e gente Milowiana. In schola vici natalis primis litterarum artiumque elementis institutus, deinde quum urbis gymnasium a domo parterna procul abesset, a patre amatissimo privatis litterarum classicarum institutionibus eruditus sum. Anno aetatis decimo quarto pharmacopolae spectatissimo Fr. Maafs in disciplinam traditus, quinque per annos arti pharmaceuticae operam dedi, deindeque Kiliam in pharmacopolium viri cl. Suersen concessi, a quo praecipue in Pharmacia, Materia medica atque Botanice generali institutus sum. Eodemque vero tempore etiam lectionibus cl. Pfaff de Physice interfui. Deinde vero arti pharmaceuticae valedicandi, ac medicinae studium navandi consilio capto, Hamburgum redii et brevi post universitatem litterarum Georgiam Augustam petii, ubi a cel. Stäudlin eo tempore fasces academicas habente a. d. 19. m. Aprilis MDCCCXVII. Gottingae civium academicorum numero adscriptus virorum celeberrimorum lectionibus jam enumerandis interfui: cel. Schulze de Logice et Encyclopaedia philosophi-

ca; cel. Heeren de historia praecipuorum Europae statuum; cel. Mayer de Physice experimentali, de Astronomia physica, deque arteficiis, quibus anguli subtilius demetiandi sunt; cel. Stromeyer de Chemia theoretica experimentali; nec non erud. Mahni interpretationibus odarum Horatii, erud. Saalfeld historiae belli insurectionis Tyrolorum anno MDCCCIX gesti; cel. Schraderi lectionibus de Botanica medica; ejusdemque demonstrationibus atque excursionibus botanicis interfui. Anatomia generali, Osteologia, Syndesmologia, et Myologia cel. Hempel, Angiologia, Neurologia, Splanchnologia et Adenologia cel. Langenbeck me instituerunt. Ill. Blumenbach de Physiologia, de historia naturali, de Anatomia et Physiologia comparata; exp. Kraus de materia chirurgica, atque historia medicinae; cel. Himly de Nosologia et Therapia tam generali, quam speciali, de materia medica, atque Ophthalmologia disserentem auscultavi; cel. Langenbekii praelectiones, et demonstrationes chirurgicas frequentavi. —

Turbis Gottingae autumno an. MDCCCXVIII commotis hac relicta antiqua litterarum universitate Berolinum petii, ubi rectore magnifico Weiſs a. d. 24. m. Octobris anni MDCCCXVIII inter civos academicos receptus sum. Hac in alma litterarum universitate hasce lectiones frequentavi: Ill. Rudolphi de anatomia universa deque vermibus intestinalibus, a quo viro et ill. Knape etiam arte cadavera dissecandi in theatro anatomico institutus sum. Deinde lectiones semiologicas Ill. Berends et Exp. Hecker qua potui assiduitate frequentavi, doctrinae autem de cognoscendis et curandis morbis acutis duce Ill. Chr. Guil. Hufeland operam dedi, unaque Ill. Horn. de therapia speciali deque morbis syphiliticis exponenti affui, In doctrina de morbis infantum cel. Richter, in pathologia ac therapia morborum mentis Exp. Böhr, inque doctrina morborum organi auditus

Exp. Busse praeceptoribus gavisus sum. De repentinis vitae periculis Ill. Koreff mihi tradidit, praetereaque operam et studium in methodologia, historia, theoria et praxi artis obstetriciae apud. Ill. de Siebold posui, a quo viro etiam in machina phantome exercitatus sum. Denique cel. Link historiam medicinae nec minus Ill. Behrends interpretationes librorum Celsi frequentavi. Jam vero in institutis clinicis Ill. Hufeland, Ill. Graefe, cel. Rust et Ill. Horn, cognoscendis, observandis curandisque hominum morbis et internis et externis operam dedi, atque ab Ill. de Siebold in instituto slinico obstetritio in practica arte obstetricia, et in cognoscendis curandisque morbis gravidarum parturientium et puerperarum exercitus sum. Disputationes medicas latino sermone exp. Böhr, atque exercitationes in operationibus ophthalmiatricis exp. Jüngken mecum instituerunt.

Omnibus hisce praeceptoribus meis, quibus tot tantaque debeo, pio animo quam maximas ago gratias. Tentamine examineque rigoroso rite absolutis, dissertationem hancce conscripsi, eaque publice defensa, ut summi Medicinae et Chirurgiae honores mihi conferantur, submisse precor.

THESES DEFENDENDAE.

I. Venaesectio est antiphlogisticum, antispasmodicum et roborans.

II. Venaesectio nullius alius remedii vice fungi potest.

III. Inflammatio asthenica non extat.

IV. Mercurio vis antiphlogistica non inest.

V. Scrofulosis est morbus spasticus.

VI. Propulsio sanguinis non tantum a corde, sed etiam contractionibus vasorum efficitur.

VII. Sanguis vitalitate gaudet.

VIII. Scabies solummodo ab infectione externa oritur, et morbus mere localis est.